bellum adversus Gallos hoc anno suscipiendum
& vidi ipse milites ad Galliam properare.
Quod si fieret, forsassis tranquillior fieret Eccle
Nos precamur patrem, eam vt, quod non sit
fraudi Ecclesiae. Confirmamus igitur nostras
preces. Vt deus nos ex his erumnis liberet.
Bene ac feliciter vale. die . 4. Martij. Anno [illegible]

Io: Bren: manu

Venerando sane Dno M. Lucae Rosti
eruditione ac pietate claro
Magdeburgensi apud S. Joannem
Pastori amico plurimum obser-
vando.

S. D. Audio Reverende pastor Christianorum
omnium & frater. Nos Cremenses (Zerwest) apud
vos esse traductos, quod multa in Ecclesijs
nostris mutaverimus. Quare committere non
possum, quin Vos hac de re certiores faciam.
Apud nos hactenus Baptismi & Eucharistiae
sacramentum satis puriliter sine vlla ad-
monitione administratum est, Permultos
etiam offendit illa ministrorum audacia,
quae interdum illis parum cogitantibus circa
sacramentorum administrationem contingere
solet. Ideoque Principes nostri instituerunt,
vt in administratione Sacramentorum ad
astantem populum breves ac pias adhorta-
tiones faceremus, quas forte brevi videbis.
Praeterea vt in sacrorum & sacri Verbi admi-
nistratione lingua vernacula vteremur.

Nihil aliud apud nos mutatum est, quod ad
Ceremonias pertineat. Cupiverunt qui[dem]
Principes nostri Trophaeum Christi ante fu-
nera ferri, et confirmationem puerorum
per pastores fieri. Sed nondum adhuc fit,
fortassis etiam non facile fiet. Mitto
etiam his tuae Reverentiae Iudicium
Dni Phil: de mutatione Ceremoniarum,
quod iam iam venit ad manus meas,
adeo tempus transcribendi non habeam.
Precor, postea ad me remittas, quam primum.
Dominus sit cum dictis vobis auxiliator
et defensor Amen. Dominum Al-
rum ut virum candidum vobis commenda-
tum cupio. Datae Anno Dni 1549
~~45~~ 27. Januarij

Theodorus fabricius

In tanta Ecclesiarum moestitia et dissipatione
optarim quam minimum fieri mutationum.
Semper enim etiam tranquillis temporibus
aliquid est in mutatione incommodi. Nunc
multo magis dolore afficiuntur bonae mentes,
cum vident tales mutationes in fieri, quae
significant inclinationem ad inimicos nostros,
quos certum est defendere vitiosos cultus,
Propter hanc inclinationis opinionem trium-
phant, et confirmantur inimici, et inter
nos multi pij languescunt, et in dubitationem
adducuntur. Quare suasores mutationis
graviter accusantur, et iudicantur scandalo-
rum insignium authores esse, videlicet langue-
factionis in ea parte quae recte sensit, et
confirmationis errantium, denique et ob-
scurationis veritatis et gloriae dei.
Haec non sunt exigua mala, de quibus postea
rursus dicendum est, cum collatio fiet scanda-
lorum, quae ex durioribus et mollioribus sen-
tentijs sequuntur. Prius autem —